



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XV. Dignissima est honorari. Honore dignus est, quem Rex honorat:
scriptum legitur in libro Esther: cap.6. Ast Rex Regum, Deus Mariam
honorat, ergo ab omni creatura est honoranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

pore mortis suæ, nunc autem assistit à dextris ejus in cœlis, ut loqueretur pro nobis bonum, & avertat indignationem suam à nobis. Salutari itaque consilio S. Bernardini Senensis. ser. 3. de nomine Mariæ. art. 3. cap. 4. pro salute nostrâ acquiescimus. Oremus igitur dilectissimi fratres, Dominam nostram Virginem benedictam, ut qua Mater esse meruit judicis seculorum, pro reatibus nostris, Filio satisfaciat Advocata sapientissima. Amen.

Quis non prudentem se predicet, & sapientem,
Qua bona corde fovet, & mala longè moves,
Provida Virgo, bonum, rogo, mittas à Patre donum,
Ut mala condonet JESUS, in ore sonet.

DISCURSUS XV.

Beata Maria Virgo omni honore est dignissima.

Universalem de notitiâ Angelorum de rebus futuris regulam ponit Doctor Angelicus S. Thomas de Aquino. 1. part. quæst. 57. art. 1. ad 1. & 3. *Quidquid Prophetæ cognoverunt de mysterio gratia per revelationem divinam, multò excellentius est Angelis revelatum.* Ex quâ regulâ facillè deduci potest, quòd si primarium gratiæ mysterium Incarnationis, per revelationem divinam, Prophetæ cognoverunt, de quæ eo per multas figuras, quasi per speculum, & in ænigmate prophetaverunt, id ipsum etiam Incarnationis mysterium, multò excellentius Angelis sit revelatum, Deo igitur revelante, creationem Angelorum, tam Verbi incarnandi, quàm futuræ Dei Matris, plena notitia est subsecuta, unde quem admodum Christum, verum ipsorum Dominum ac Regem Angeli adoraverunt, sic quoque Mariam Virginem Filii Dei Matrem futuram prænoscentes, cœli terræque

Exordium.

- æque Dominam, & Angelorum Reginam constitutam venerati sunt, maternitatis enim Dei privilegio singulari Virgo Maria, omni excogitabili honore dignissima electa est, cui promovendo SS. Patres gratulabundi se sistunt. *Beata Virgo, ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam infinitam dignitatem, ex bono infinito, quod est Deus.* docet præfatus Doctor Angelicus S. Thomas de Aquino. 1. part. quæst. 25. art. 6 ad 4. *Qualis est hæc dignitas? utiq; habet quandam infinitatem, esse Matrem infiniti, & Omnipotentis. Quæ autem excellentia, quæ perfectio, quæ magnitudo decuit eam, ut esset idonea Mater Dei?* quærit Thomam Thomas de villâ novâ. conc. 3. de Nat. B. V. *Felix planè Maria, & multipliciter felix, sive cum accipit Salvatorem, sive cum à Salvatore suscipitur: utrobq; hæc dignitas Virginis Matris, utrobq; amplectenda dignatio. Magni statû. lacteæ fermocinatur.* S. Bernardus. serm. 1. de Assumpt. B. V. *Reveram maternitatem Dei, hanc in mundo naturali perstitit dignitatem, ut Regina misericordie merito nuncupetur, & hoc propter Filii magnificentiam, qui est Rex regum, & Dominus dominantium,* perorat S. Bernardinus Senensis. serm. de Nat. B. V. cap. 8. *Te Deus rerum omnium digniorem præscens amavit, amatam prædestinavit, atq; extremis temporibus in ortum produxit.* subscribit S. Joannes Damascenus. orat. de Nat. Virg. & iterum orat. 2. de Assumpt. Virg. *Operetur Dei Matrem, ea qua sunt Filii possidere, atq; ab omnibus rebus conditis adorari, ut Dei Matrem. O honor femina! ô excellentia Maria! cujus meritorum celsitudine, & gratiarum equalitate stupet cælum, natura miratur, & sancta beatorum Spirituum venerantur agmina.* concludit exclamando S. Laurentius Justinianus. serm. in Festo Purific. B. V. *Veneremur de nos, & imploratâ Spiritus S. gratiâ, cum honore deducamus Conceptibus.*

CONCEPTUS I.

Confirmatio, seu Deductio.

Mardochei fidelitatem præmiaturus rex Assuerus, cum novâ stolâ indutum, ac regio equo impositum, per plateam

civitatis circumduci, & ante equum clamitari iussit: *Hoc honore condignus est, quem rex voluerit honorare.* Esth. 6. cap. Quam rex sibi in Matrem, Fillam, aut sponsam eligit, nonne honore condigna censebitur? Cui regia legatio cum solemnitate mittitur, nonne honore condigna declaratur? cui deserviri per primos Ministros, complementa deponi per Principales aulicos, ipse rex jubet, nunquid honore condigna dicetur? etenim quem rex voluerit honorare, dehonore subdito nefas est. Mariam Virginem Deus Pater in Filiam, Deus Filius in Matrem, Deus Spiritus S. in Sponsam, tota SS. Trinitas in Triclinium nobile elegit, dignissima proinde, quam omni honore coelum veneretur & terra. Marianè pro more S. Bernardinus Senensis. serm. de Assumpt. art. 3. cap. 3. *Tota Trinitas uniformi, & voluntate concordi, hanc inestimabilem Virginem, ostendit esse suam Sponsam incommunicabilis charitatis, celi Reginam inaccessibilis dignitatis, mundi Dominam inparticipabilis potestatis, Electorum omnium Genitricem piam inefficabilis pietatis.* Benedictæ super omnes Virgini, ex aulâ celesti Dominus non simplicem Angelum, sed Archangelum Gabrielem, qui flexo poplite eam Dei nomine salutaret, legatum misit. Lucæ. 1. cap. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilæa, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria: & ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quod si Deus ipse ac Dominus cœli, & terræ, in electione ad maternitatem Dei, Mariam Virginem ad eum voluit honorare, quis erit mortalium, qui eam non omni honore condignam reputabit? Itaque infelix & impius, ac omni infideli deterior, qui Mariam dehonorat, pius & felix, qui honorat. Sic felicitatem promittit doctissimus Idiota honorantibus Virginem, in prologo de Contempl. V. *Beata Virgo post Filium suum Domina est universa creatura, & in futuro saeculo glorificabit servientes sibi, si eam honorificaverint in presenti.* Vade, & fac similiter, si felicitatem exoptas.

CONCEPTUS II.

Interalia documenta, quibus populum imbui voluit Paulus Apostolus, minimum non est, dominos omni honore dignos arbitrari, scribit enim in primâ suâ epistolâ ad Timotheum cap. 6. *Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.* Ratio est, quia Domini servis suis in terrâ Dei loco præfunt, & sic nomen Domini quodammodo gerunt, ac propter hoc ipsum, à servis omni honore digni arbitrandi sunt, ita quidem, ut per irreverentiam, quam domino servus inuisit exhibet, blasphemari nomen domini, & doctrinam, Apostolus censet. Mariæ nomen *Domina* interpretatur, & Dominam universi SS. PP. eam appellant. Sic S. Bonaventura in spec. Virg. lect. 3. *Maria interpretatur Domina, hoc optine competit tantæ Imperatrici, quæ reverè Domina est caelestium, terrestrium & infernorum, Domina, inquam, Angelorum, Domina hominum, Domina demonum.* Sic S. Joannes Damascenus. lib. 4. de Fide orthodox. cap. 15. *Domina Maria nomine significatur, verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cum Creatoris Mater extitit.* Sic Hugo Victorinus. serm. 34 de Instit. Monastic. *Maria est sponsa fide, amicitia, dilectione, Mater fecunditate, Virgo integritate, Domina dignitate, Regina Majestate.* Sed quis alios quoscunque terræ dominos, cum Dominâ hâc verè magnâ audeat comparari? quidem omnes nomen domini, sed moraliter tantum gerunt, quatenus nimirum Domini loco suis præfunt, Maria autem Virgo, creaturarum omnium Domina, ut vera Dei Mater, non moraliter tantum, sed etiam formaliter, nec solum nomen dulcissimum Jesu, sed & ipsum Jesum, in viscibus primùm, dein brachiis gessit. Si ergo Apostolus dominos omni honore dignos arbitrari jubet, & servum irreverenter blasphemum censet, qui tamen moraliter tantum nomen domini gerunt, quanta non erit blasphemia, non reverentia, si

summo honore dignissimam arbitrari eam, quæ non tam nomen Jesu, quam Jesum ipsum, quem Virgo genuit, formaliter brachiis gerit, Mariam Virginem, vel ipso nominis ethymologiâ creaturarum Dominam. Doceamur ab Idiota de Contempl. B. V. cap. 5. *Dedit tibi Virgini Maria, tota super sancta Trinitas nomen, quod post nomen super benedicti Filii tui, est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem.* Nec dubitare fas est, etiam S. Paulum Apostolum vas electionis nominis Jesu, & nomen Mariæ omni honore excogitabili dignissimum arbitratum fuisse, qui dominos terrestres, huic Dominæ longè impares, ad eò honorari præcepit.

CONCEPTUS III.

Unus idemque S. Apostolus, qui dominos à servis suis honore omni dignos haberi voluit, duplicis honoris dignitatem Presbyteris, & iis quàm maximè, qui bene præsunt, assignavit. *Qui bene præsunt, Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ.* 1. ad Tim. 5. cap. In quo consistit hæc dignitas Presbyterorum, cui præ aliis duplicatus debetur honor? in potestate illâ non exiguâ, quâ verbis consecrationis rectâ intentione prolatis, Christum Filium Dei vivi, sub speciebus panis & vini, in altari præsentem presbyteri reddunt; duplici sanè honore digni, quibus non homo tantum, sed & Filius Dei, ad verba paret, & apparet. Sed & idem Unigenitus Dei Filius, ad verba Mariæ Virginis cum humilitate, optimâ intentione ac devotione prolata paruit ac apparuit, in eo enim ipso instanti, quo voluntati divinæ consentiens Virgo, ut Dei Mater fieret, Angelo respondit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1. cap. Filium Dei de Spiritu S. concepit in utero, & prolatis à virgine verbis, æterni Patris Verbum Caro factum est. Profundè ex suâ Carthusiâ Dionysius, in Lucam. *Quibus*

prolatis immediatè Unigenitum Patris aeternè conceptus; in
 instanti spiritus S. ex ejus purissimo sanguine corpus formati. &
 perfectè, quantum ad membrorum distinctionem, organum
 item in instanti anima Christi est creata, carni unita, in
 crumq. verbo, hypostaticà, seu personali unione est coniunctum.
 Duplici honore dignos haberi Presbyteros, par est, licet hi
 sub speciebus tantum panis & vini Filium Dei præsentem ed-
 dant, carnem tamen, & sanguinem non communicent, &
 consequenter neque Filium suum dicere possint: Maria Virgo
 autem verbis à se humiliter ac devotè prolatis, Filium Dei in
 utero suo virginali ita concepit, ut carnem suam ei dederit
 & sanguinem, ejus vera Mater facta; quem proinde Filium
 suum nominare ritè potest, non duplici tantum cum Presby-
 teris, sed infinito præ cunctis creaturis honore dignissima.
 Favet Conceptui Richardus à S. Laurentio. lib. 3. de laud. Virg.
*In hujus enim prerogativa dignitatis, non communicat ei homo,
 non Angelus, non aliqua creatura, sed sola cum Deo Patre dicere
 potest Dei Filio: Filius meus es tu. Psal. 2. Sola ergo post Deum
 summo honore dignissima.*

CONCEPTUS IV.

Inter regulas aulicisimi, seu politix, communis est ob-
 servatio, quod is honore dignus censeatur, qui præ cæteris
 ad dexteram collocatur: quem locum in regno Patris dedisse
 Matri Filium Virginis judicatis? respondet vir secundum con-
 Dei: *Astitit Regina à dextris suis in vestitu deaurato circumda-
 ta varietate. Psal. 44.* Non sat erat Christo JEsu, Mariam
 Virginem sole amictam, stellis coronatam, corpore & ani-
 mâ in coelos assumpsisse, sed & auro vestitam, varietate cir-
 cumdatam, in cœli Reginam installare, & ad dexteram Patris
 cœlestis pro condigno collocare complacuit, ut nimirum de
 honorandis parentibus legem Filius hominis non solvere
 sed adimpleret. Hic sensus est S. Ildephonsi. ser. 2. de Assump-
 B. V. *Es si imperis premia justus Judex Christus Dominus, sed*

divi Apostolum, unicuique iuxta opera sua, huic tamen sanctissima Virgini Genitrici suae, sicut incomparabile est, quod gessit, & ineffabile donum, quod accepit, ita inestimabile, atq; incomprehensibile premium & gloria: non dico inter ceteras Virgines, verum etiam ultra omnes Sanctos, quam promeruit; pervenit namq; ad caeleste palatium, beata & gloriosa, ubi Christus sponsus Ecclesiae, intra thalamum collocavit eam, in dexteram Majestatis. In aula terrestri dignus honore, qui praeter ceteris in dexteram collocatur, Maria Virgo in aula caelesti, ad dexteram summi Patris, à Filio est collocata, itaque summo honore est dignissima.

CONCEPTUS V.

Cui homo est subditus, eum recognoscit dominum, & consequenter omni honore dignum arbitratur. An non Unigenitum Dei Filium Mariae Matri suae, & propter Mariam simul etiam castissimo ejus sponso Josepho subditum legimus, in Evangelio. *Et erat subditus illis.* Lucæ. 2. cap. Mariam ergo Dominam, ipse Dominus recognovit, atque ideo omni honore dignissimam arbitratus est. Hinc S. Bernardus. homil. 1. super missus est. *Deus, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Maria, nec tantum Maria, sed etiam Joseph propter Mariam: mirare utrumlibet, & elige, quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem: utring; stupor, utring; miraculum, & quod Deus feminæ obtemperat, humilitas absq; exemplo, & quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio.* Nec non Dionysius Carthusianus. de laud. B. V. lib. 3. art. 18. *Jure ac merito tibi, o praestantissima ac speciosissima Domina, subjicitur, ac obedit omnis creatura, caelestis, terrestris, ac intermedia, quoniam omnium Conditor Deus, tibi ut Matri fuit subiectus. Exclamer nunc Bernardinus de Busto Mariali per 12. serm. 2. O ineffabilis dignitas Maria, qua Imperatori omnium meruit imperari.*

CON.

CONCEPTUS VI.

Salvator mundi Christus Iesus, patibulo crucis jam acriter affixus, in summis suis, & incomparabilibus doloribus, Mariam versus oculos suos tendit, ac dilecto discipulo suo Joanni, qui suprapectus ejus in cœnâ recubuit, carissimam Matrem suam specialiter observandam, testamentum tradit, dicens: *Ecce Mater tua*, Joann. 19. cap. In vehementissimis doloribus, in obsequiosissimo, & summè necessario negotio constitutus erat Iesus, cur ergo negotio seposito, & quasi oblitus dolorum, tam sollicitè Matrem recommendare Joanni? cur eam ut Matrem observari præcipit? respondet Ambrosius: *Ne illam inhonoratam relinqueret*. Nempe patientissimus Iesus, fugisse discipulos, & solam cum Joanne dolorosissimam Matrem, juxta crucem stetitisse, non sine dolore animadverterat, ut ergo Mariam, filiali honore vrandam, moribundus mundo relinqueret, Joanni acquirere eo omnibus hominibus recommendare in Matrem dignum est. Quem etiam in finem, ut idem Sanctus Ecclesiæ Doctor observat, dolorosissimam Matrem versus *Inclinato capite tradidit Spiritum. Ut Maria ultimum honorem exhiberet*. Quod nunus exemplo suo sacratissimo erudiret nos, Matrem suam honorare in tempore, si ab eo honorari velimus in æternitate, nec infeliciter morituros eos, qui Mariam in vitâ honoraverint, eique sese devotè inclinaverint. Confolatè Blosius in Canone vitæ spirit. cap. 18. *Fieri non potest, ut pereat, qui Maria sedulus, & humilis cultor fuerit*. Quam moriens filius veneratione dignissimam testatus est Matrem.

CONCEPTUS VII.

A quantitate dignitatis, honores metiri solet mundus, quò majori enim homo in dignitate constitutus est, eò majores illi ab orbe honores exhibentur; hinc commune adagium.

Dignitates sequuntur honores. Quanta fuit dignitas B. Mariæ Virginis? Sanè res omnes conditas a dignitate antecelluisti. perorat S. Joannes Damascenus. orat. 1. de Nat. B. V. *Maria Virgo, quoad Conceptionem proli, sic quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, sic tantam habuit bonitatis dignitatem, quod nulla Mulier amplius capere potuit; si enim omnes creaturæ, quantumcumq; ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentæ, omnes deberent reverentiam Matri Dei.* seraphicè docet S. Bonaventura. 1. sent. dist. 44. in exposit. textus. Marianam jam, si lubet, dignitatem metire, & quam creaturis omnibus digniorem invenisti, præ omnibus honoratiorem, pius ac devotus venerare.

CONCEPTUS VIII.

Zelotes Mariani honoris S. Thomas de villâ novâ. ferm. 1. de Nat. Virg. Quæstionem non ingrati movet, cur SS. Evangelistæ, de dignitate beatæ Mariæ Virginis tam succinctè scribant, cum tamen multi sint gradus honoris, quibus supra omnem creaturam à Deo est elevata; vel enim Virginem tantum nominant, aut solum Mariæ nomen ponunt, vel ad summum hæc verba addunt, quæ in primo sui Evangelii capite ponit S. Matthæus. *De quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus?* Et rationem reddit, quia dignitas Mariæ, quæ in Maternitate Dei fundatur, ineffabilis est, & incomprehensibilis, hinc Matrem Dei dixisse, omnem dicibilem dixisse crediderunt Evangelistæ de Mariâ dignitatem. Assentitur Petrus Cellensis. lib. de panibus. cap. 21. *Quid amplius ei assignare possumus divini muneris & honoris, quam ut, quod verum est, fateamur, Genitricem eam Dei esse, & hominis? infra hoc, quidquid dicitur, quidquid in ejus commendatione offertur: si cæli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quam ore excogitatum protuleris, non assurgat ad hunc indicibilem honorem, quo creditur, & prædicatur Dei Genitrix,* Ergo Mariane cliens, quem tua

P

Vir-

Virgini dignissimæ honorem præstare pro condigno lingua non potest, suppleat affectus.

Epilogus.

Affectum cordis erga Virginem Dei Matrem monstrare, illa coronata hujus mundi capita, quæ una cum suis Maria non solum submississimè devoverunt sese, sed in patronam regni sui elegerunt, & non alio quàm *magna Domina* titulo decoraverunt, inter quos præcipui fuere, Albertus Secundus, & Henricus Septimus Imperatores Romani, Constantinus Græcorum Imperator, Stephanus Ungariæ Rex & Apostolus, & Ludovicus Primus Rex Christianissimus, quorum magnifica exempla sequantur reges & regna, quin imò mortalis quicquæ Marianum subditum hic & ibi felicem agens, cum S. Arnulfo orat. ad B. V. magnam suam Dominam inclamet: *Maria! tu illa magna Maria, tu illa major beatarum Marianarum, tu illa maxima faminarum: te, Domina magna, & valde magna, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te deprecari venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tibi mi tua se commendat tota substantia mea, Amen.*

Cunctis majorem, pro Matre requirit honorem,

Qui se par Patri, subdit in orbe Matri;
Hanc cultu dignans, Dominam tibi scitob-
nignam,

Si pius inclames, si venereris, ames.

